Dissertatio inauguralis medica de genuinis opii effectibus in corpore humano ... / [Christian Wilhelm Schwartz].

Contributors

Schwartz, Christian Wilhelm.
Büchner, Andreas Elias, 1701-1769.
Universität Halle-Wittenberg.

Publication/Creation

Halae Magdeburgicae : Typis Joannis Christiani Hilligeri, [1748]

Persistent URL

https://wellcomecollection.org/works/t4dpb6qn

License and attribution

This work has been identified as being free of known restrictions under copyright law, including all related and neighbouring rights and is being made available under the Creative Commons, Public Domain Mark.

You can copy, modify, distribute and perform the work, even for commercial purposes, without asking permission.

Wellcome Collection
183 Euston Road
London NW1 2BE UK
T +44 (0)20 7611 8722
E library@wellcomecollection.org
https://wellcomecollection.org

DISSERTATIO INAVGVRALIS MEDICA
DE
GENVINIS OPII EFFECTIBVS
IN
CORPORE HVMANO

QVAM
EX CONSENSV GRATIOSAE FACVLTATIS MEDICAE
IN REGIA FRIDERICIANA,
PRAESIDE
VIRO ILLVSTRI ATQVE EXCELLENTISSIMO
DOMINO
D. ANDREA ELIA BVCHNERO
SACRI ROMANI IMPERII NOBILI
POTENTISSIMO REGI PRVSSOR. A CONSILIIS SANCTIORIBVS,
MEDICINAE ET PHILOSOPH. NATVRAL. PROFESS. PVBL. ORDIN.
FACVLTAT. PHILOSOPH. H. T. DECANO, IMPER. ACADEM.
NATVR. CVRIOSOR. PRAESIDE ET COMITE
PALATINO CAESAREO,
PRO GRADV DOCTORIS
SVMMISQVE IN MEDICINA HONORIBVS ET PRIVILEGIIS
DOCTORALIBVS SOLENNITER CAPESSENDIS
AD D. XI. MART. A. O. R. MDCCXLVIII.
PVBLICO ERVDITORVM EXAMINI SVBMITTET
AVCTOR
CHRISTISTIANVS GVILIELMVS SCHWARTZ
HASSO-FISCHBACENSSIS.

HALAE MAGDEBVRGICAE,
TYPIS IOANNIS CHRISTIANI HILLIGERI ACAD. TYPOGR.

47408/P

DISSERTATIO INAVGVRALIS MEDICA

DE

GENVINIS

OPII EFFECTIBVS

IN CORPORE HVMANO.

PROOEMIVM.

Quum medicina practica versetur circa sanitatem praesentem conseruandam, perditamque denuo reparandam: opus omnino erit, vt conuenienti remediorum & medicamentorum adparatu instructus sit, qui artem saluta-

rem exercere intendit. Sed neminem facile fore existimo, qui non intelligat, in exercitio artis cum ratione & felici successu versaturum oportere, vt distincte cognoscat, quid sanitas, quid morbus sint? a quibus caussis iste diuersus status corporis humani dependeat? quae regulae adhibendae veniant, iuxta quas in sanitatis conseruatione morborumque propulsione procedi debeat? & quot modis denique istiusmodi regulis satisfieri possit? Solidam haec omnia requirunt theoriam, tam corporis humani, quam rerum ad illud applicandarum, qua destitutus nec gloriam Medici rationalis sibi adsciscat, sed potius fata empiricorum subeat perniciosa. Vt vero ad scopum meum propius accedam, e re esse videtur, nonnulla magis accurate cogitateque exprimere, quae ad fundamenta respiciunt, quibus corporum quorundam naturalium, quae tuendae redintegrandaeque sanitatis caussa ad corpus humanum adplicari solent, solida cognitio inniti debeat. Ea, quae sunt, vel fieri possunt per corpora naturalia, per illorum essentiam ac naturam semper sunt necessaria. Hinc patet, essentiam & naturam

cor-

porum naturalium illis perſcrutandam eſſe, qui rationes eorum, quae per eadem ſunt poſſibilia, reddere contendunt. Medicum igitur practicum oportebit, praeter corporis humani vim, aliorum quoque corporum naturalium eſſentiam & naturam introſpicere. Ex quibus facillimo negotio colligere licebit, quantopere neceſſum ſit, ut illa praecipue corpora naturalia, quorum complexus materiam medicam conſtituit, accuratum ſub examen vocentur, illorum mixtiones ſedulo inquirantur, & ſingulae partes mixtum conſtituentes probe expendantur. Hac enim via perueniri poterit ad intelligendam eiusmodi corporum naturalium eſſentiam ac naturam. Iuuabit hic porro diligenter adtendere ad phaenomena, quae poſt talium corporum naturalium adplicationem ad corpus humanum in eodem conſequuntur, ut conſtans rationem inter & experientiam intercedat conſenſio. Non inutile igitur argumentum, ſpeciminis loco pertractandum mihi elegiſſe videor, *Opii* ſcilicet *genuinos effectus in corpore humano* explicaturus. Huius enim ſubiecti materialis, vti ab antiquiſſimis temporibus vsque ad noſtram aetatem

frequentiſſimus uſus fuit: ita quoque multi Medicorum ex omni fere ſeculo integra commentaria de *Opio* conſcripſerunt, quorum alii iſtos, alii alios eidem effectus tribuerunt; alii laudarunt, damnarunt alii. Quid ideoque de *Opio* tenendum ſit, id iam in praeſenti Diſſertatione inaugurali docebitur. Ne vero certa principia demonſtrandorum deſint, methodi leges iubebant totam hancce diatriben ad duo momenta reuocare. Inquirendum nempe *prius* erit in *mixtionem Opii* & ex his deinde illius *effectus in corpore humano* explicandi nobis ſunt. Faxit DEVS O. M. feliciter.

CAPVT

CAPVT I.

DE MIXTIONE OPII.

§. I.

OPIVM est solida quaedam substantia, & quae ita ex papaueris planta prolicitur, vt haec vel perfissa succum sponte fundat, deinde condensandum, vel exprimatur, vel extrahatur, inspissandum postea, quod ex ista planta ope extractionis vel expressionis egrediebatur; vt ideo Opium generatim nec lacryma, nec succus inspissatus dici possit. Pluribus ex locis ad nos adfertur Opium, sed eius maximam copiam pharmacopoliis nostris suppeditant Smirna, Alexandria & Aleppum. *Origo opii.*

§. II.

Modus, quo Opium colligitur, eiusque locus natalis, diuersi sunt (§. antec.). Vt nihil de illius differenti *In quo latent differentiae opii?*

ferenti aetate dicam. Atque huic fundamento innititur differentia vnius Opii prae altero. De qua re autem satis multa in auctorum scriptis de Opio iam prostant, quare haec omnia hoc loco praetermitti poterunt. Magis vero hic iuuabit notas boni aeque ac vilioris Opii enarrare.

§. III.

Notae boni opii.

Bonum haberi solet opium, quod colorem ex nigro in rufum vergentem & simillimum aloes epaticae refert; quod quando diffringitur splendore quodam nitet, quod densum, graue & inflammabile est; quod linguae saporem imprimit amarum, acrem; quod odorem tristem spirat instar capitum immaturorum papaueris nostratis, quod denique aquam, in qua soluitur, rubro tingit colore.

§. IV.

Notae vilioris opii.

Vilioris e contrario notae Opium esse existimatur, quod, adfusa aqua, instar cerae lentescit, odorem spargit empyrevmaticum, tandemque in aqua solutum eidem flauum conciliat colorem.

§. V.

Quid partes corporis constitutiuae.

Partes corporis constitutivae dicuntur partes, in quas corpus ope chemiae solui potest.

§. VI.

Quid partes corporis re-

Partes, in quas corpus per artem chemicam dissolui potest, erunt vel partes talium partium, quae per

per diſſolutionem poſſunt ſiſti, vel minus; *priores* vocantur *remotae*, *poſteriores* autem *proximae.* *motæ & proximae.*

E. g. oleum, quod per deſtillationem ſiccam ex reſina ialappae impetratur, radicis ialappae pars remota, reſina ipſa pars proxima erit.

§. VII.

Qui opii mixtionem indagare ſuſcipit, illum opii partes conſtitutiuas indicare, & omni modo cauere oportet, ne opium in partes remotas, ſed proximas diſſoluatur. Conſiſtit enim in genere mixtio corporum naturalium in coalitu diuerſorum miſcibilium. Hinc opii mixtionem indagaturus, tenetur hocce mixtum in ſua miſcibilia reſoluere, adeoque partes conſtitutiuas opii (§. V.) indicare. *Officium indagaturi mixtionem opii.*

Quum itaque opii mixtionem indagaturus debeat eius partes conſtitutiuas indicare (per membr. antec.) neceſſe eſt, ut ille ſimul ſibi proſpiciat, ne miſcibile quoddam partis modo conſtitutiuae opii, pro parte ipſa conſtitutiua venditet. Ex quo adparet, mixtionem opii indagaturum curare debere, vt iſtud corpus naturale non in partes remotas, ſed proximas diſſoluatur.

§. VIII.

Deſtillationes ſiccae vegetabilium partes reſinoſas, gummoſas & ſalinas in ſuas partes diſſoluunt: id quod multis in chemia docetur. Sed cum ad Opii mixtionem intelligendam non niſi partes conſtitutiuae & proximae requirantur (§. antec.), tum patet, *Cur deſtillationes ſiccae omittendae?*

destillationes siccas opii illis omittendas esse, qui eiusdem mixtionem perspicere contendunt.

§. IX.

Qualia menstrua omitti debeant.

Menstrua, partes vegetabilium extrahendarum mutantia, qualia sunt salina, mixtum quoddam efficere possunt ex partibus vegetabilis & menstrui. Quare *eiusmodi quoque menstrua ad indagandam opii mixtionem adhiberi nequeunt* (§. VII.).

§. X.

Destillationes humidae probantur.

Quum ex chemicis constet, ope destillationum humidarum ex vegetabilibus olea aetherea naturalia, adeoque eorundem partes proximas elici posse, atque ad explorandam opii mixtionem illius dissolutio in partes constitutiuas & proximas requiratur (§. VII.), *necesse* tum *est*, *vt destillationibus humidis circa mixtionem opii disquirendam concedatur locus.*

§. XI.

Quae menstrua probentur.

Quum etiam aqua & spiritus vini rectificatissimus sint menstrua, vegetabilium partes nihil alterantia (quod ex chemicis notum est), sequitur, vt aqua & spiritus vini rectificatissimus, ad cognoscendam opii mixtionem, menstrua sint idonea (§. VII.).

§. XII.

Monitum auctoris.

Propositiones (§. VII. & seq.) ideo praemittere fas erat, quia in iisdem continentur regulae, secundum quas exploraturus opii mixtionem se compo-

nere

nere adigitur: quibus an ego quoque ipse satisfecerim, nec ne, iam iam recensenda experimenta docebunt.

§. XIII.

Opium ad quatuor libras humidae destillationi subiectum, ne guttulam quidem olei destillati aetherei dedit. Aqua vero, quae per alembicum transcendebat, nihil singulare quid, praeter opii odorem, sensibus offerebat. *Experimentum I.*

§. XIV.

Duae vnciae opii aqua extrahebantur, & peracta euaporatione relinquebatur solidior quaedam substantia, ponderans vnciam vnam, drachmas duas, scrupulos duos. *Experimentum II.*

§. XV.

Huic substantiae (§. antec.) adfusus spiritus vini rectificatissimus, eandem ad drachmas septem soluit. *Experimentum III.*

§. XVI.

Solutionis (§. ant.) residuum in aqua soluebatur, solutumque intra quatuordecim dies motum fermentatiuum subiit. *Experimentum IV.*

§. XVII.

Duae vnciae opii in aqua coctae substantiam quandam vnctuosam, aquae innatantem, dimittebant, quae ad stateram reuocata, ponderabat drachmam dimidiam. *Experimentum V.*

§. XVIII.

Experimentum VI. Determinata (§. ant.) quantitas opii extrahebatur mediante spiritu vini puluerem pyrium incendente, sed sine praeuia extractione per aquam: atque absoluta euaporatione obtinebantur solidioris cuiusdam substantiae vncia vna, scrupuli duo.

§. XIX.

Experimentum VII. Eadem extractio (§. ant.) alio tempore repetita, sed instituta prius vlteriori spiritus vini rectificatione, offerebat istiusmodi substantiae solidioris vnciam vnam.

§. XX.

Experimentum VIII. Huic extracto solidiori (§. ant.) adfusa aqua, illius partem quandam soluebat, quae, ope staterae examinata, ponderabat drachmas septem.

§. XXI.

Scholion. Multi celebres Opiographi crystallos tartareas ex opio se obtinuisse contendunt, quas mihi vero nunquam obseruare licuit, debita licet attentione ad rem adplicata, saepiusque experimentis repetitis. Neque vnquam aliud quid, praeter expositas in experimentis (§§. XIII.-XX.) partes, ex opio impetraui, quamuis differentia quaedam ratione quantitatis sese interdum obtulerit. Quod vero, quantum ego iudicare possum, ob loci, tempestatis, nec non aetatis discrepantiam necessarium est.

§. XXII.

§. XXII.

Partes vegetabilium fixae dicuntur, quae sine mixtionis mutatione ab igne eleuari nequeunt. *Definitio partium fixarum.*

§. XXIII.

Partes vegetabilium saponaceae volatiliores audiunt, quae cum aqua alembicum transcendunt, illique ita immiscentur, vt nullam visibilem mutationem in eadem producant. *Definitio partium saponacearum volatilium.*

§. XXIV.

Partes vegetabilium gummosae adpellantur partes eorundem fixae, fermentabiles atque in aqua tantum solubiles. *Definitio partium gummosarum.*

§. XXV.

Partium resinosarum in vegetabilibus nomine insigniuntur eorundem partes fixiores, & quae in solo spiritu ardente solui possunt. *Definitio partium resinosarum.*

§. XXVI.

Partes saponaceae fixae vegetabilium vocari possunt partes eorundem in spiritu ardente & aqua simul solubiles. *Definitio partium saponacearum fixarum.*

§. XXVII.

Mixtio opii absoluitur 1) partibus fixis terreis, 2) saponaceis volatilioribus, 3) gummosis, 4) resinosis, 5) saponaceis fixis & tandem 6) substantia quadam vnctuosa. *Mixtio opii in quo consistat.*

Etenim opium substantiam quandam solidam relinquit, siue illud per destillationem, siue per extractionem, siue per coctionem tractetur (§§. XIII-XX.).

Insunt adeoque opio partes, quae sine mixtionis alteratione ab igne in altum non vehuntur, nec in spiritu ardente & aqua soluuntur. Quare in opio continentur partes fixae terreae Q. E. I.

Ex §. XIII. videre licet, aquam per alembicum transgressam, opii odore imbutam fuisse, sine vlla alia visibili eius mutatione. Sed partes vegetabiles dicto nunc modo aquae immixtae, saponaceae volatiliores audiunt, de quarum igitur praesentia in opio dubitari nequit Q. E. II.

Docet porro (§. XVI.) opium dedisse partes in aqua solutas, ac deinde fermentatas, adeoque gummosas (§. XXIV.). Hinc nec gummosae partes in opio negari poterunt. Q. E. III.

Quum etiam opio insint partes, in spiritu ardente tantum solubiles (§. XIX.), neque resinosae partes opio deficient. Q. E. IV.

Neque porro opium caret partibus, quae in spiritu ardente aeque ac aqua solui possunt, prout idem ex §. XV. & XIX. elucescit. Quare etiam partes saponaceae fixae (§. XXVI.) in opio lateant oportet. Q. E. V.

Vltimo tandem loco experimentum (§. XVII.) declarat,

declarat, vnctuosam quandam substantiam ex opio per coctionem in aquam transiisse. Hinc istam quoque substantiam in opio esse reconditam patet. Q. E. VI.

§. XXVIII.

Fuicta iam opii mixtione, singularum nunc partium eiusdem miscibilium indoles ac natura penitius scrutanda veniet, eritque explicandum, qui inde effectus in corpore humano produci possint. Quare ad Caput secundum Dissertationis meae inauguralis iam transeo. *Transitio.*

CAPVT II.

DE

EFFECTIBVS OPII IN CORPORE HVMANO.

§. XXIX.

Cani, diuulsis faucibus, scrupuli duo partis gummosae opii ingerebantur & post dimidiae horae spatium respiratio celerior, pulsus arteriarum auctior & frequentior obseruabantur. Mox deinde incipiebat animal titubare, atque exporrectis cruribus anterioribus in terram procumbere; vbi pulsus sensim sensimque imminui videbatur. Quod quum obseruatum sit, viui adhuc canis cranium aperiebatur. Deprehendebantur ibi arteriae maiores aeque ac minores, *Experimentum I.*

nores, quotquot cerebri anfractus pererrant, sanguine turgescere, immo ipse sanguis multo fluidior, quam esse solet in statu naturali, comparebat.

§. XXX.

Experimentum II. Idem quoque ferculum in eadem quantitate (§. antec.) feli datum, post octo horae minuta eiulatus sequebantur, & animal ore diducto, spuma repleto, huc illucue prosiliebat, paullo post caput sustinere impotens, mox temulentum, deinde conuulsum, tandem interiit.

§. XXXI.

Experimentum III. Alius canis, cui determinata (§. XXIX.) partis gummosae quantitas itidem offerebatur, similia, prout enarrat §. antec. exhibebat phaenomena, quamvis in gradu mitiori. Quare sequenti die animal naturali gaudebat alacritate.

§. XXXII.

Experimentum IV. Sed eidem quoque cani partis opii saponaceae fixioris exhibebantur scrupuli duo. Praeterlapso quadrantis horae spatio animal tremores corporis & pulsationes cordis vehementes pati, paullo post titubare, somno octo horarum profundo opprimi, exinde lassum emergere, atque ab hinc tertio die perire obseruabatur. In dissecto cadauere ventriculus rubore suffusus & vasa cerebri cruore turgida adparebant.

§. XXXIII.

Experimentum V. Cani, qui ante aliquot dies partis gummosae opii

opii ſcrupulos duos, cum deſcripto in §o XXXI. effectu, deuorauerat, nunc eadem quantitas partis reſinoſae ingerebatur. Animal ſat alacre ſtatim poſthac intremiſcere, aeſtu torqueri, in altiorem ſomnum delabi, ac demum conuelli incipiebat, morte mox ſubſecuta.

§. XXXIV.

Subſtantiam opii vnctuoſam, cani ad ſcrupulum vnum datam, inſignes tremores, aeſtus, grauis ſomnus, conuulſiones excipere deprehendebantur. Tragoedia denique poſt vnius horae dimidiam partem cum morte animalis ad finem perducta. *Experimentum VI.*

§. XXXV.

Saponaceae & gummoſae opii partes, per triginta ſex horas valide coctae, poſt exſiccatae, cani ad vnciam dimidiam ingerebantur, ſed animal nullos tremores, nec ſoporem, nec lasſitudinem, nec aliud quoddam malum inde reportaſſe obſeruabatur. Atque idem quoque eueniebat, partibus reſinoſis opii, eiusque ſubſtantia vnctuoſa, forti & tot horarum coctione tractatis: quarum illae ad vnciam ſemis, hae vero ad ſcrupulum vnum cani indebantur. *Experimentum VII.*

§. XXXVI.

Partium opii reſinoſarum vncia dimidia, per coctionem in §o anteced. indicatam, ponderis ſui grana quindecim amittit. Mixti vero ex partibus opii ſaponaceis & gummoſis vncia dimidia per eandem coctionem grana duodecim perdit. *Experimentum VIII.*

§. XXXVII.

Quid ex §§. XXXIV. & XXXV. sequatur.

Opii partes, ante sui diuturnam coctionem animalibus datae, horrenda in iisdem phaenomena producebant (§. XXIX - XXXIV.), quorum nihil comparebat, partibus opii fortiter diuque coctis (§. XXXV.) Vnde colligere licet, *virtutem partium opii cum aqua durante coctione evaporare*, sed commonstrat quoque §us XXXVI. *quam exigua sit illa quantitas partium opii nociuarum.*

§. XXXVIII.

Experimentum IX.

Mixtum ex partibus opii saponaceis & gummosis, vi sua animalibus fatali priuatum, per aliquot hebdomades in aqua solutum stabat, vbi fermentationem subiit. Separato in B. M. menstruo, drachma vna cani dabatur, qui inde vacillare & somnolentus factus esse obseruabatur.

§. XXXIX.

Quid inde sequatur.

Consequens est §. anteced. *ablatas per coctionem opii partes vaporosas, animalibus nocentes, sub fermentatione denuo excludi.*

§. XXXX.

Quid porro sequatur.

Ob veritatem §. ant. necessum quoque simul est, *vt opii partium vaporosarum quantitas, adeoque etiam illius virtus, per fermentationem augeatur.*

Vnde porro liquet, *quod opium in theriaca Andromachi, vtpote quae nonnisi post conceptam sui fermentationem dispensari solet, multo maiori efficacia polleat.*

§. XXXXI.

§. XXXXI.

In hominibus post opii vsum obseruantur rubor, intumescentia faciei, inflationes venarum capitis. *Confer. Ill. b. m.* HOFFMANNI Dissert. *de mechanica opii operandi ratione* §. *VI.* *Experientia*

§. XXXXII.

BORELLVS *obseruat. 57. Cent. IV.* casum recenset, vbi quidam ex nimia laudani opiati quantitate in somnum, quem optabat, inciderit, & fluxione sanguinis e vena nuperrime secta breui perierit; eiusmodi quid ex usu opii euenisse, adnotauit quoque *Ioach.* CVRAEVS Libr. II. *de sensu & sensibilibus Cap. 17.* *Experientia.*

§. XXXXIII.

WILLISIVS in *Pharm. rational.* P. I. p. 191. scribit, sibi exempla illorum constare, qui ab opii vsu ingenii tarditatem & stupiditatem sibi contraxerunt. SCHNEIDERVS de *Catarrho Libr. IV. Cap. 8.* refert *sibi regis cuiusdam Indiae filium innotuisse, qui vsu opii mentem memoriamque amiserat.* Et BARTHOLINVS in *Act. Hafn.* commemorat, aegram dolore capitis a narcoticis sedato, ab eo tempore correptam fuisse vertigine, stupore & imbecillitate capitis. *Experientia.*

§. XXXXIV.

WALDSCHMIDIVS in *Dissertat. de opiatorum noxa* mulierem quandam in exemplum profert, quae, vsurpatis opiatis in haemorrhagia vteri, coecitatem sibi *Experientia.*

contraxit. Similem quoque belladonna edidit effectum, quod multoties obseruatum fuit.

§. XXXXV.

Quinam effectus opii generales.

Opii effectus generales in corpore animali sunt, 1) *motum progressiuum sanguinis augere,* & 2) *temulentiam vel soporem inducere.* Constat enim ex §§. XXIX-XXXIV. dato animalibus opio, in iisdem cordis arteriarumque ictus fuisse acceleratos, respirationem citam, aestum adauctum, quae omnia augmentum motus progressiui sanguinis requirunt. Sed quum etiam ex iisdem §§is simul elucescat, temulentia & sopore animalia corripi post opii vsum: hinc de veritate propositionis dubitari nequit.

§. XXXXVI.

Opium vim vitalem auget.

Quum auctus motus progressiuus sanguinis sibi postulet auctam arteriarum actionem, atque haec maius quoddam augmentum vis vitalis supponat, (id quod in Physiol. docetur) sequitur, *vt opii effectus in corpore animali simul sit, augmentum quoddam vi vitali concedere.*

§. XXXXVII.

Opium est stimulans.

Opio competit vis stimulans. Opium enim auget motum progressiuum sanguinis (§. antec.). Hinc vel sanguinem magis elasticum reddere adeoque eundem paullo condensare, vel alio modo fibras cordis & arteriarum ad se saepius & fortiter contrahendum cogere, vel quod idem est, stimulare deberet: alias

alias impossibilis foret aucta arteriarum & cordis actio (quod ex physiolog. patet). Sed opium sanguinem magis fluidum efficit (§. XXIX.), quod etiam BORRICHIVS Dissert. de *Somno & somniferis*, in corporibus humanis obseruauit. Quare posterius locum obtinere debet, atque ideo vis stimulans opio certo respectu itidem tribuenda est.

§. XXXXVIII.

Opium congestiones sanguinis versus cerebrum producit. Etenim vasa cerebri animalium, quibus opium dabatur, cruore infarcta inueniebantur (§. XXIX. XXXII.); immo in hominibus post opii vsum rubores, intumescentiae faciei, inflationes venarum capitis, obseruantur (§. XXXXI.). Vnde tuto colligere licet, sanguinem in vasis ad cerebrum tendentibus magis post opium vsurpatum coaceruari. Sed talis sanguinis coaceruatio in vasis *congestionis* nomine venire solet; vera ergo est propositio. *Opium congerit sanguinem ad caput.*

§. XXXXIX.

Quum ab opio motus sanguinis progressiuus augeatur (§. XXXXV.), illique simul vis stimulans competat (§. XXXXVII.), tum *perquam faciles erunt haemorrhagiae.* Quo cum consentit experientia (§. XXXXII). *Ab opio haemorrhagiae.*

§. L.

Deliria tam acuta, quam chronica, a congestionibus sanguinis versus caput natales suos ducunt. Atque inde etiam adfectus conulsiui & apoplectici oriri solent: quae omnia in pathologia euincuntur. Sed opium congestiones sanguinis versus caput prouocat; *In quibus morbis opium noceat.*

Hinc *illius vsus delirantibus, conuulsiuis atque apoplecticis perquam noxius erit.*

§. LI.

Quibus subiectis in genere opium noceat.

Subiectis, ad congestiones sanguinis versus caput iam pronis opium semper erit nocentissimam. Namque in eiusmodi subiectis omnium facillime producuntur, admissa illarum caussa. Sed iam huius indolis opium est (§. XXXXVIII.). Quare illius vsus praedictis subiectis nocentissimus esse debet.

§. LII.

Quid inde sequatur.

Pessime igitur (§. antec.) *agunt mulierculae, quae complacaturae infantum clamores, ad theriacam, ceu ancoram salutis, confugiunt.*

§. LIII.

Quid porro.

Ob eandem quoque caussam (§. LI.) sibi ab vsu opiatorum caueant senes, plethorici.

§. LIV.

Quae subiecta in specie opium fugere debeant.

Quibus porro transpiratio difficulter succedit, quales e. g. esse possunt plethoram spissam alentes, illi saepissime congestionibus sanguinis versus caput subiiciuntur: id docente frequenti experientia. *Hinc istiusmodi subiecta ab opii vsu sibi bene prospiciant, oportet* (§. LI.). Vnde simul patet, *cur incolis nostrarum regionum opiata plus damni adferant, quam populis orientalibus, & iis qui sub climate calido degunt.*

§. LV.

Quanam porro.

Qui spasmis vexantur, illis & transpiratio aegre succedit, & dispositio est, ad congestiones sanguinis versus caput perferendas: id quod ex principiis patholog. probari potest. Quare etiam *haec modo descripta subiecta vsum opiatorum fugiant* (§. LI.).

Ex

Ex quo iam porro consequitur, *quantopere febre decumbentibus opita noceant? praecipue quando iam deliria adfuerint* (§. L.). Quam veritatem experientia quoque confirmat, confer. Ill. b. m. HOFFMANNI *Dissert. cit. §. XVI.*

§. LVI.

Opium diaphoresin quidem prouocare potest, sed valde periculosam. Etenim opium sanguinem attenuat, rarefacit (§. XXIX.), motumque sanguinis progressiuum adauget (§. XXXXV.). Vnde diaphoresis ab opio prouocari poterit. Verum enim vero quum opium congestiones simul ad caput efficiat (§. XXXXVIII.), atque inde periculosissimi morbi nascantur, diaphoresis, quae ab opio produci posset, non nisi magno cum damno corporis stipata erit. Quare iam constat propositio. *Qualis opii vis diaphoretica.*

§. LVII.

Opii effectus stupefactiui non ab immediata illius actione in neruos, sed potius a producta cerebri eiusque medullosae portionis compressione, dependent. Nam opio competit vis stimulans (§. XXXXVII.), hinc quando opium in neruos agit, aget eosdem stimulando. Hinc ab immediata opii in neruos actione effectus stupefactiuus proficisci nequit. Quia vero opium congestiones sanguinis versus caput inducit (§. XXXXVIII.) necessariae tum erunt vasorum in cerebro distensiones, ob quas cerebrum ipsum, nec non illius substantia medullosa, comprimi debent. Vnde nec fluidum debito modo per vniuersam cerebri substantiam fluere poterit, & effectus stupefactiui erunt necessarii. Hinc altera propositionis pars iam liquet.

§. LVIII.

§. LVIII.

Quid inde sequatur?

Quum ex demonstratione §. praeced. videre liceat, quod cum opii effectu stupefaciente compressiones neruorum necessario connexae esse debeant: intelligi inde poterit, *quare opiata tarditatem ingenii, debilitatem memoriae, vertiginem, stuporem, imbecillitatem capitis* (§. XXXXIII.), *immo coecitatem* (§. XXXXIV.), *producere valeant?*

§. LIX.

Quando effectus opii imminuantur.

Fidissima docet experientia, medicamentorum stimulantium vim eo magis imminui, quo frequentius idem medicamentum adsumptum fuerit. *Similiter igitur se res quoque habebit cum opio frequentius vsurpato, cui ita adsuefieri aliquis potest, vt deinde virtus opii valde imminuta deprehendatur.*

§. LX.

Scholion.

Neque ideo (§. antec.) ab vsu opii illis innoxio, qui eidem iam adsueti sunt, ad effectus, quos illud in non adsuetis corporibus praestat, argumentari licebit. Alias enim nec venena deleterii quid in se continere deberent, quia iisdem quoque corpus humanum adsuefieri potest. Videant iam opii amatores, quam parum vtilitatis sibi de isto medicamine promittere possint. Series est malorum, quae ab illius vsu corpori humano inuehuntur. Sed plura adhuc de hac re dici potuissent, nisi animo praefixum iter necessarium hic finem Dissertationi meae iuberet constituere.

TANTVM.